

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Clementissimis Auspiciis Fridericianis De Emphasi
Sacrarum Vocum, Ex veteri Hist. Hebr. repetenda, publice
cum aliis colloquuntur**

Ad diem XII. Maji A. a partu Virginis MDCCIII. In Auditorio Theologorum

Dassovius, Theodor Dassovius, Theodor

Kiloni[i], 1714

VD18 90523733

Comma VI. Ephes 5. v. 2.

urn:nbn:de:gbv:45:1-10336

ejusmodi vocabulum quo adoptandi sibi Patrem ad-
sciscerent, ut idem *Dievius* asserit, in eo assensum non
meretur, quia hoc nomine filii naturales suos voca-
bant Patres, recte monente *B. D. Calovio Bibliorum il-
lustratorum T. 2. N. T. edit. Francof. pag. 604.*

COMMA VI.

Ephes 5. v. 2.

Et tradidit se ipsum pro nobis, in
oblationem & victimam Deo,
in odorem bonæ fragrantiae.

§. I.

Oblatio contradistinguitur victimæ, quoniam etiam
munus de panibus oblatum vocabatur oblatio,
sed victima dicebatur oblatio de pecude & ave data,
interim & munus & victima erant oblatio, si confi-
derentur prout in altari offerebantur Nam omnes
res sacræ in altari exteriori oblatae vocabantur
oblaciones, ceu docet *Abarbanel in Comment. in Legem
edit. Venet. in fol. 226. p. 2.*

§. II.

Quomodo autem se habuerint oblaciones de
panibus datae, quod vel publicæ vel privatæ fuerint,
quod aliquæ cum libamine vini conjungerentur, a-
liæ eodem carerent, quod privatæ in quinque divide-
rentur partes, quod etiam ad munera panum per-
tinetur manipulus paschalis hordeaceus de hordeo
oblatus, & alia ejusmodi copiose ac luculenter ex-
plicat

plicat Maimon. in Hakdama *mimmaffebet Menachoth* prefixa huic libro editionis *Mischnica Rivenfis in fol. f. 559. col. 3. & 4.* ut autem se habuerint oblationes de pecude & ave datæ, quod de quinque darentur generibus, quod oblationes quatuor essent specierum, quænam ad singula pertinerent festa, quod nonnullæ ordinariis oblationibus superadderentur, quod tempora oblationum diligenter attenderentur, & alia ejusmodi prolixè & data opera erudite interpretatur idem Maimon. in Hakdama ad *se der Kodaschim* prefixa titulo de sacrificiis edit: *Mischn. citat. f. 348. toto.* Conferatur *Guilielmus Oustramus peculiari libro de Sacrificiis.*

§. III.

Itaque cum se dedisse dicitur in munus & sacrificium indicatur, quod omnes Hebræorum oblationes sive de animalibus avibusque, sive de panibus caperentur, sanctissimum servatorem adumbrarint, siquidem holocausta quæ in honorem Dei offerebantur, indicabant Christum sua passione & morte Deum Patrem honoraturum, Sacrificia pro reatu & peccato cæsa Christum futurum esse hostiam pro peccato totius mundi immolandam, indicabant. Sacrificia salutaria, quæ pro salute vel beneficio vel impetrato vel impetrando dari solebant, per Christum impetrari beneficia, & per illum etiam pro impetratis beneficiis agendas esse gratias ostendebant.

§. IV.

Non solum autem victimæ de animalibus sumptæ innuebant, Christum in ara crucis immolandum, sed & oblationes, quæ de panibus

offererantur, idem significabant, quia Christus verus erat panis vitae. Unde etiam sacerdos summus quotidie offerens 12. placentas panum, dimidia ex parte matutino & dimidia ex parte vespertino tempore, indicabat summum sacerdotem Christum tanquam panem vitae pro tota ecclesia (sicut placentae sacerdotis summi pro tota Ecclesia offererantur) aliquando offerendum esse *Vid. Maimon. T. 3, in Maase Hac-corbanot h. c. 13.* Quod si autem munus offerretur ex lan-ganis sive placentis tenuibus; solebant illae placentae ungi signo crucis, sive signo *Græca litera Chi* ad denotandam crucem Christi. *Videatur Mischna Menachot h. c. 6. & in eam Jom. Tobb. edit. Wulmersd. in 4. f. 33. p. 2. & Jarchius in Menachot h. edit. Amstel. in fol. f. 75. p. 1.* Pari modo Abyssini panem sacrae coenae signant cruce, ceu docet *Jobus Ludolphi in historia Æthiopica lib. 3. c. 6. n. 80.*

§. V. Denique in nostro commate dicitur Christum se dedisse in odorem quietis vel bonae fragrantiae. Observant Hebraei odorem quietis dici (1) de victimis, in altari ita ut debebant, i. e. legitime oblatis. Nam si quis victimam adussisset, antequam in altare deferretur, & deinde ulterius combussisset in altari, non cedebat in odorem gratum, quia non erat legitime oblata *Vid. Abaron Aben Chajim in Siphra T. 1. edit. Ven. in fol. f. 61. p. 2.* Sic Christus in ara crucis immolari voluit non extra illam, tanquam hostia legitima, caelitus concessa. (2) dici de illis victimis, quae plenarie expiabant. Unde si adhuc aliquid ad plenariam expiationem praeter victimam requi-

requireretur non dicebatur cedere in odorem gratum. Ita docet *Menachem in Levit. c. 4. Vid. Airfworth in Levit. edit. Londin. in fol. f. 20. p. 2.* sic Christus plenarie nos expiavit, ut nihil amplius requiratur. (2) dici de illis victimis, ubi maxima minima erant observata, v. g. in ave offerenda attendi debebat, ut si holocaustum esset, & aspera arteria & gula simul secarentur ungue, si vero sacrificium esset pro peccato ut alterutra tantum secaretur ungue, præterea si alæ ungue funderentur, debebat attendi, ne avellerentur, & quæ erant alia ejusmodi minima, quæ si observata essent, dicebatur sacrificiū cedere in odorē gratū *Vid. Levit. c. 1. v. ult.* Sic Christus omnia maxima minima attendit cū se daret hostiam pro peccatis nostris, & hinc illa hostia, cū in ara crucis offerretur, cessit in odorē gratū. Gratus autē odor erat si sacrificium benevole a Deo susciperetur, ceu docet *Majmon. T. 3. titulo Biath Hammikdash c. 9. §. 13* & Dei voluntas ex assē esset facta, ceu explicat *Jarchius in Exod. 29. Bibl. Buxtorff. fol. 99. 1.*

COMMA. VII.

Ephes. 6. v. 16.

Super omnia assumpto scuto fidei,
quo possitis omnia tela mali illius
ignita extinguere.

§. I.

SCutorum formam quæ Hebræis in usu erant, oculis subjecimus *in disputatione Wittenberg. ad titulum Celim. A. 1696. habit aut hic repetere sit super vacaneum.*

I 2

§. II.